

nicari, seu alteri carnaliter commisceri extra legitimum matrimonium; hoc enim est intrinsece malum; unde talis potius in foro externo debet humiliter sententiam excommunicationis sustinere, ut expresse statuitur in cap. *Litteras* 13, De restitut. spoliati., ibi: « Cum mulier, quæ consanguinitatis habet notitiam, præsertim in gradibus, quos lex divina (*Levitici* c. xviii) prohibuit, non possit hujusmodi viro sine peccato mortali carnaliter commisceri; quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, et quidquid fit contra conscientiam, ædificat ad gehennam: frustra in tali casu adjudicaretur restitutio spoliato, cum illa contra Deum non debeat in hoc iudici obedire, sed potius excommunicationem humiliter sustinere. » Idem declarat ipsemet Innocentius III in cap. *Inquisitioni* 44, De sentent. excommuni., ibi: « Credimus distinguendum utrum alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine peccato mortali non valet carnaliter commercium exercere, quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit, an non sciat pro certo, sed credat. In primo casu debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale. » Talis enim conjux, ex simili excommunicatione contra se lata, non ligatur apud Deum, cum irrita et invalida sit excommunicatio, quæ peccato mortali non nititur, ut ait concilium Meldense in cap. *Nemo* 41, caus. 11, quæst. 3, nec proinde verè censuræ effectum producere valeat, ut constat de mente Gelasii I relat. in cap. *Cui est* 46, dict. caus. 11, quæst. 3, et de mente S. Hieronymi relat. in cap. *Quomodo* 44, ead. caus. et quæst., et de mente S. Augustini in cap. *Capisti* 48, in cap. *Quid obest*, 50, et in cap. *Etsi* 13, ead. caus. et quæst. Et expresse Glossa in cap. *Si quis* 70, caus. 1, qu. 1, ibi: « Quid ergo si episcopus excommunicet? patienter ferat, nec curet, cum non ligetur apud Deum. » (52. Quod autem nequeat conjux ab alio discedere absque gravi scandalo, aut etiam absque manifesto vitæ periculo, nihil refert, nam ut expresse dicitur in reg. 3 *Juris*: « Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. » Et occisus ex hac causa meretur pro servanda virtute supernaturali castitatis, et sic evaderet martyr, nam non solum qui propter confessionem fidei, sed etiam qui pro defensione aliarum virtutum supernaturalium moriuntur, martyrii palmam consequuntur. Generaliter enim loquendo omnia virtutum opera, quatenus referuntur in Deum, sunt quedam fidei protestationes, quia, dum quis potius vult mori quam Deum peccato quopiam offendere, ipso facto protestatur Deum esse summum bonum, ac omnibus aliis bonis creatis præferendum; quod est articulus fidei Christianæ; unde sanctus Augustinus serm. 250 *De tempore*, etc., sic expresse dicit: « Christianis quotidiana martyria deesse non possunt; sicut enim castitas, et veritas, et justitia, Christus est, sic et ille, qui eis insidiatur, persecutor est; qui et in

aliis defendere, et in se custodire voluerit, martyr erit. »

(53. Conjux, qui, durante matrimonio, contraxit affinitatem cum sua consorte, cognoscendo videlicet carnaliter ejus consanguineam in primo vel secundo gradu, non potest petere debitum; cap. *Qui dormierit* 30, caus. 27, qu. 2, cap. *Si quis* 1, *De eo, qui cognovit*, etc. (54. Licite tamen potest reddere, imo tenetur, textu expresso in c. *Discretionem* 5, *De eo qui cognovit*, etc., ibi: « Nec affinitas, quæ post contractum legitime matrimonium inter virum et uxorem inique contrahitur, ei debet officere, quæ hujusmodi iniquitatis particeps non existit, cum suo jure non debeat sine sua culpa privari, » et c. *Tuæ fraternitatis*, 10, eod. tit., ibi: « Vir ejus poterit, et debebit cum Dei timore debitum ei solvere conjugale, cum affinitas post matrimonium inique contracta illi nocere non debeat, quæ iniquitatis particeps non existit. » (55. Notanter autem fuit dictum *consanguineam in primo et secundo gradu*, quia, si esset consanguinea solum in tertio, aut quarto gradu, non incurreret penam non petendi debitum, prout, teste Farinaccio in declar. super sess. xxiv *Conc. Trid.*, c. 4, *De reformat. matrim.*, declaravit Gregorius XIII his verbis: « Sanctissimus dominus noster Gregorius XIII ex sententia cong. dixit, per hoc decretum sublatum censi impedimentum quoque supervenientis affinitatis post contractum matrimonium, quia, si impedimentum dirimens sublatum est, quod majus est, ergo et illud quod impedit, ne is, per quem contracta est affinitas, sine peccato possit exigere debitum, quod minus est. »

(56. Conjux voto simplicis castitatis adstrictus licite non potest petere debitum, tenetur tamen reddere; cap. *Quidam* 3, cap. *Charissimus* 12, *De conversion. conjug.*, cap. *Sunt qui* 19, caus. 27, qu. 2, cap. *Si dicat* 1, c. *Notificasti* 2, cap. *Una sola* 6, et c. *Noluit* 16, caus. 33, qu. 5. Et ratio est quia votum castitatis includit obligationem præcepti negativi, cum vovens se obstringat ad se abstinendum ab omni actu venereo; adeoque votum castitatis ab uno conjugum factum obligat semper, et pro semper quoad ea, quæ cum matrimonio sunt compatibilia; compatibile autem est non petere debitum, licet non reddere non sit compatibile. Nec valet dicere quod hoc esset nimis difficile conjugum voventi, et nimis onerosum alteri conjugum non voventi, maxime si conjux non vovens sit mulier, quæ verecundabitur petere. Non valet, inquam, quia, si conjugum voventi sit difficile, sibi imputat, et petat dispensationem, et onerosum alterius conjugum non voventis tollitur, ex quo conjux vovens possit reddere, non solum quando alter petit expresse, sed etiam quando ex signis, quæ inter conjuges sunt nota, advertit alterum conjugem optare, ut patet ex dictis supra n. 6, 7 et 8.

Quoad ea quæ concernunt dispensationem super impedimento petendi debitum conjugale.

SUMMARIUM.

1. Dispensatio ad hoc ut sit valida, debet dari ex legitima et justa causa. — 2. Possunt episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjugum, qui ante matrimonium emisit votum perpetuæ castitatis, eoque ligatus nupsit. — 3. Idem possunt cum conjugum, qui post matrimonium, sive consummatum, sive non, prædictum emisit votum vel cum, vel sine consensu alterius conjugum, dummodo non fuerit emissum ab utroque cum reciproca et expressa renuntiatione jûris, ad n. 6. — 7. Excipiuntur casus urgentis necessitatis, in quibus episcopi dispensare possunt etiam in votis Summo Pontifici reservatis, et consequenter, super ipsorum impedimento reddendi debitum: et qui sint urgentis necessitatis casus innumeri, ad n. 8. — 9. Insuper possunt episcopi dispensare ad petendum debitum cum impeditis ratione contractæ affinitatis, et cognationis spiritualis cum sua conjugum. — 10. Eadem potestas dispensandi super impedimento petendi debitum conjugale competit etiam capitulis, eorumque vicariis capitularibus sede episcopali vacante, et vicario generali episcopi, maxime si specialem ab illo facultatem habeat, ad n. 11. — 12. Regulares mendicantes, alique omnes cum ipsis communicantes possunt dispensare ad petendum debitum, tam super impedimento proveniente ex voto simplici castitatis perpetuæ, ante, vel post matrimonium contractum inito, quam super impedimento proveniente ex affinitate contracta ratione copulæ habitæ cum consanguinea, vel consanguineo, etiam in primo gradu alterius conjugum, ad n. 18. — 19. Confessarii regulares possunt valide et licite dispensare super impedimento petendi debitum in primo, ex nuper expressis casibus, licet non sint ad hoc specialiter deputati a suis superioribus majoribus, at in secundo probabiliter est non posse, nisi ad id specialem præfatorum commissionem habeant; non desunt tamen magni nominis doctores pro affirmativa, ad n. 22.

(1. Præmisso quod dispensatio, ad hoc, ut sit valida, debet dari ex legitima et justa causa, alias per doctores communiter esset irrita et invalida, et facta ex abusu potestatis concessæ, ex Apostolo *I Ad Corinth.*, c. xiii, v. 10: *In ædificationem, et non in destructionem.* (2. Possunt episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjugum, qui ante matrimonium emisit votum perpetuæ castitatis, eoque ligatus nupsit. S. Antoninus, iii par., tit. 1, c. 22, § 2; Joann. Andreas, in cap. *Rursus qui clerici, vel voventes*, n. 6, et ibi Ancharan., n. 2; Præpositus, n. 6; Angelus, verb. *Matrimonium* 3, impediment. 5, n. 3; Ugolinus, *De matrim.*, cap. 20, n. 10; Brunellus, *De sponsalibus concl.*, n. 4; Valentia, iv part. 10, qu. 5; Scotus, in 4, dist. 37, qu. unica, art. 1; Reiffenstuel, lib. iv *Decretal. in Appendice de dispensatione super impedimentis*, n. 564; Rosignolus, *De matrim.*, disp. 12, quæst. 4, cum pluribus aliis contra Silvestrum verb. *Dispensatio*, qu. 9, n. 15; Gutierrez, *Canon. qq.* lib. 1, c. 23, n. 17, et varios alios. Et ratio est quia, licet episcopi hoc non possint de jure ordinario, prout notat Azor, tom. 1, lib. xi, c. 19, qu. 8; Toletus, lib. iv,

c. 18, n. 1, dist. 2; Graffius, in dec., par. 1, lib. 1, c. 13, n. 80; Diana, part. 1, tract. 11, resolut. 66, et alii, possunt tamen vigore consuetudinis et communis praxis, secundum quam omnes episcopi, scientibus pontificibus et non reclamantibus, quoad hoc jus petendi dispensant, consuetudo autem præscripta dat jurisdictionem per textum clarum in cap. *Cum contingat* 13, *De foro competenti*, et quidem juxta rectam rationem inducta est quoad originem et continuationem hæc consuetudo et praxis, quandoquidem possunt conjuges periculo incontinentiæ subesse, etc.

(3. Possunt etiam episcopi ad petendum debitum dispensare cum conjugum qui post contractum matrimonium, sive illud fuerit consummatum, sive non, emisit votum perpetuæ castitatis, sive cum vel sine consensu alterius conjugum, sive ab illo solo, sive etiam ab altero conjugum seorsim, dummodo non fuerit emissum ab utroque conjugum cum reciproca conventionione et expressa renuntiatione reciproci juris; Sanchez, lib. viii *De matrim.*, disp. 11, a num. 4 ad octavum; Aragonius, 2-2, quæst. 88, art. 8; Joannes Angelus Bossius, *De triplic. jub. privileg.*, sect. 2, cas. 20, num. 13; Basilius Pontius, lib. viii *De matrim.*, cap. 9, num. 2; Bartholomæus a S. Fausto, lib. iii *Thesaur. religios.*, quæst. 79; Rosignol., *loco citato*, n. 23; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 559; Sporer, tom. 1, tract. 3, in 2 *præcept. Decalog.*, c. 3, num. 76, et alii plurimi. Et ratio est quia votum post contractum matrimonium emissum ab uno conjugum, sive cum vel sine consensu alterius conjugum, sive ab illo solo, sive etiam ab altero conjugum seorsim, quoties non est emissum cum reciproca conventionione et expressa renuntiatione reciproci juris, licet videatur elici absolute et perfecte, non potest tamen vere dici votum perfecte absolutum, et integræ castitatis, quia unus conjugum, sine expressa renuntiatione sui juris facta ab altero conjugum, non potuit vovere absolutam et integram castitatem in præjudicium alterius conjugum, cui reddere debitum ex justitia obligatur; vovit ergo solum castitatem partialem, et secundum quid, scilicet non petere debitum, quale votum secundum omnes non est reservatum Sum. Pontifici, adeoque dispensabile ab episcopis; unde si episcopi dispensando tollere possunt, et actu tollunt votum, quod est unica causa et radix impedimenti, utique etiam tollere possunt, et dispensando tollunt ipsum impedimentum, eo quod, cessante causa, cesset effectus; c. *Cum cessante* 60, *De appellat.*

(4. Notanter autem fuit dictum, dummodo non fuerit emissum ab utroque conjugum cum reciproca conventionione, et expressa renuntiatione reciproci juris, quia, vi hujus mutui contractus et reciprocæ conventionionis, a petendo et reddendo abstinendi licite et valide, absolute et integre vovent; et sic cum in tali casu utraque pars, vi conventionionis sit liberata etiam ab obligatione reddendi debitum, consequenter votum libere obser-

vari possit et debeat, ac votum sit absolutum et perfectum ex parte utriusque, et ideo reservatum Summo Pontifici, arg. Extrav. *Et si Domini* 5, *De pœnit. et remiss.*, dispensare in illo episcopi non possunt; Sanch., lib. ix *De matrim.*, disp. 37, n. 10; Sporer, *loc. cit.* n. 76; Ancharan; in c. *Dudum*, *De convers. conjugator.*, n. 12; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 561, cum Abbate, Innocent., Joan. Andrea, ibi citatis, et communiore tam theologorum quam jurisperitorum; arg. cap. *Quod Deo*, caus. 33, quæst. 1, ubi de mente S. Augustini sic expresse habetur: « Quod Deo pari consensu veneratis. perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis. A quo proposito si lapsus est ille, tu saltem instantissime persevera. » Vide artic. antecedent. sub num. 24. (5. Nec valet objicere quod sicuti ex dictis num. 2 possunt episcopi dispensare in petendo debito cum impeditis ratione voti perpetuæ et perfectæ castitatis ante matrimonium emissi, ita etiam possunt cum impeditis ratione voti perpetuæ, et perfectæ absolutæque castitatis post matrimonium emissi. Non valet, inquam, quia absolute negatur paritas; quia cum illis, qui obstricti voto perpetuæ et perfectæ castitatis ante matrimonium emisso, dispensant episcopi ratione præscriptæ consuetudinis juste et rationabiliter introductæ, ad evitandum evidens incontinentiæ periculum in conjugate, qui nunquam posset petere debitum, et tamen semper teneretur reddere, quod periculum minime intervenit in illis, qui post contractum matrimonium cum reciproca conventionione et expressa renuntiatione reciproci juris voyent perpetuam et perfectam castitatem, in ipsis enim non adest tale periculum, cum nulla pars debitum petere et reddere licite possit. (6. Unde sicut pro istis nulla introducendi consuetudinem dispensandi habetur justa ratio, de nulla etiam dispensandi scitur consuetudine episcoporum, et consequenter nulla habetur potestas dispensandi; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 563; Sanchez, *De matrim.*, lib. viii, disp. 11, n. 10, et alii.

(7. Excipiuntur tamen casus urgentis necessitatis, in quibus episcopi dispensare possunt etiam in votis Summo Pontifici reservatis, et consequenter super ipsorum impedimento petendi debitum. Sanchez lib. viii *De matrim.*, disp. 9, num. 22; Rodriguez, t. XI, *Qq. regul.* q. 63, art. 6; Navarrus, in *Manual.*, c. 12, num. 77; Silvester, verb. *Votum* 4, quæst. 4; Layman., lib. iv, tract. 4, cap. 8, num. 16; Sporer, *loc. cit.*, num. 71; Reiffenstuel, lib. iii *Decretal.*, tit. 34, num. 37, et alii passim. Et ratio desumitur ex epikeia (*ἔπιεικεία*), et rationabiliter præsumpta mente Summi Pontificis, nolle eum sibi vota reservare in quocunque casu, sed potius contentum esse, ut urgente gravi necessitate cum impedimento ipsum adeundi, potestas dispensandi devolvatur ad episcopum proprium, ne alias animæ laqueis irretitæ in lam magno versentur periculo. (8. Tales autem casus urgentis et gravis necessitatis, in quibus dispensare possunt episcopi, sunt

illi, qui ratione pestis, belli, seu alterius hujusmodi impedimenti, vel nullimode, vel nisi cum maxima difficultate possunt deferri ad Summum Pontificem, vel sine gravi periculo, scandalo aut tali malo possunt differri, seu suspendi usque ad obtentam dispensationem a Summo Pontifice, ut v. g. si ex dilatione matrimonii usque ad responsum pontificis ex parte voventis, seu inter contracturos urgeat evidens et proximum periculum incontinentiæ, si matrimonium differri nequeat sine gravi sponsi, vel sponsæ, vel eorum familiæ dedecore, si puella deflorata prolesque nascenda infamanda sit; maxime si sponsus, aut alias delinquens sit morti jam proximus, et nisi gravidam ducat, nascenda sit proles illegitima, vel sint orituræ graves discordiæ inter cognatos, et his similia, de quibus doctores citati, et præcipue Sanchez lib. ii *De matrim.*, disp. 40.

Nota Romani theologi.

Quæ circa episcoporum potestatem dispensandi in aliquibus matrimonii impedimentis docet auctor, cum distinctione excipienda sunt. Ac primo quidem, licet aliqua ipsis episcopis in prædictis impedimentis facultas dispensandi competat, ea tamen non ordinaria, sed extraordinaria prorsus censenda est. Ordinaria siquidem facultas dispensandi in lege a superiore sancita inferiori inesse minime potest; impedimenta autem matrimonii, vel a generalibus conciliis, vel a Summis Pontificibus ortum habent; atque ideo jure ordinario nequeunt in ipsis Episcopis utpote inferiores dispensare. Atque hanc eandem potestatem dispensandi, præsertim in impedimentis dirimentibus publicis, minime episcopis inesse multis demonstrat Benedictus XIV in *Synodo diœcesana*, l. ix, cap. 2, editionis Romanæ, anni 1753. Per extraordinariam igitur facultatem possunt episcopi dispensare in impedimentis occultis, dummodo tres simul istæ circumstantiæ concurrant: Prima, si matrimonium sit publice contractum, seu in facie Ecclesiæ, præmissis denuntiationibus, et bona saltem unius fide ex juris aut facti ignorantia. Secunda, si sit consummatum, et sine scandalo nequeant conjuges separari. Tertia, si adiri nequeat facile prima Sedes, sive a Pontifice dispensatio obtineri ob conjugum paupertatem, locorum distantiam, similesque causas, et periculum peccandi ex tanta dilatione probabiliter timeatur. Si una ex his desit circumstantiis, debet per ordinarium peti a Sede Apostolica dispensatio in forma pauperum, ut docet Cabassutius in *Theoria et praxi juris canonici*, lib. iii, cap. 27, n. 7. Deinde possunt episcopi dispensare in aliquo occulto impedimento, etiam ante contractum matrimonium, si nequeat Summus Pontifex consuli; nec possit matrimonii contractus differri sine scandalo, et illorum qui nuptias celebrare debent, infamia.

(9. Insuper possunt episcopi dispensare ad petendum debitum cum impedito ratione

affinitatis contractæ, et cognationis spiritualis cum sua conjugate. Ita quoad primam partem Sanchez, lib. viii *De matrim.*, disp. 12, n. 13; Paludanus, in 4, dist. 42, quæst. 1, art. 3, conclus. 2, n. 28, et conclus. 3, n. 29; Sotus, in 4, dist. 37, q. unic., art. 2, colon. 4, vers. *Dubium autem*; Corduba, in suo *Quæstionario*, lib. 1, q. 12, art. 2, dist. 4 et 5; Petrus Ledesma, *De matrim.*, q. 58, art. 4, dub. 2, vers. *In hujus rei explicationem*; Silvester, verb. *Matrimon.* 8, q. 15, dist. 7; Vivald., *Candelab. sacrament.*, 1 p., n. 210; Sa, verb. *Debitum*, n. 13; Rosignolus, *loc. cit.*, n. 27; Reiffenstuel., *loc. cit.*, n. 565; Sorbus, in *Compend. privileg.*, verb. *Absolutio qua ad sæculares* 2, vers. *Tertio advertendum*, ubi citat communem. Et quoad secundam partem, nempe de impedimento ratione cognationis spiritualis, tenet S. Antoninus iii p., tit. 1, cap. 15, § 3; Paludanus, *loc. cit.*, q. 1, art. 1, conclus. 1, n. 6; Vera Crux, 1 part. *Specul.*, art. 57, vers. *Sed contra*; Grassius, 1 part. *Decision.*, l. ii, cap. 83, n. 12; Navarrus, *Summa*, in c. 16, n. 34, vers. *Interrogatus autem*; Valentia, iv part., disp. 10, q. 5, punct. 5, in fine; Ludovicus Lopez, 1 p. *Instruct.*, cap. 83, col. 2, vers. *Præterea si conjux*; Rosign., *loc. cit.*, n. 27, et alii passim. Et ratio quoad utramque partem est, quæ fuit assignata supra n. 2.

(10. Eadem potestas dispensandi super impedimento petendi debitum conjugale competit etiam capitulis, eorumque vicariis capitularibus sede episcopali vacante. Capitulum enim, seu ejus vicarius capitularis succedit in omnes actus jurisdictionis episcopalis, demptis casibus in jure expressis; cap. *Cum olim* 14, *De majorit. et obedient.*, et cap. unic. *De majorit. et obedient.*, in 6, ubi, sede vacante, Capitulo indistincte attribuitur episcopalis jurisdictio his verbis: « Episcopali sede vacante, potest capitulum, seu is ad quem episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, etc. » c. *Cum nullus* 3, § *Episcopo, de temporibus ordinat.*, in 6, ibi: « Sede vacante, capitulum seu is, ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, etc. » Et sic expresse tenet Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 566, et alii passim. Item super impedimento petendi debitum dispensare potest vicarius generalis episcopi; maxime si habeat specialem facultatem ab ipso episcopo, ut communiter sustinent doctores. Si autem non habeat hanc specialem facultatem, communiter docent doctores non posse dispensare, quia dispensatio est species quædam gratiæ ac remissionis, quæ in generali concessionem non venit; Rebuffus in *Praxi benefic.*, p. 1, tit. *Forma vicariatus*, n. 54 et sequent.; Gutierrez, *Canonic. qq.*, lib. 1, cap. 19, n. 15; Monet., *De commut. ult. volunt.*, c. n. 478; Sbroz., lib. ii, q. 34, n. 2; Peregryn, in *Praxi vicarior.*, p. 1, sect. 2, subsect. 2, n. 52, et alii. Unde non potest vicarius generalis absque speciali mandato dispensare in irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, sicuti potest

episcopus in vim concilii Tridentini sess. xxiv, cap. 6, *De reformat.*, quia concilium hanc facultatem non tribuit vicario generali, nisi specialem commissionem ad hoc habenti, prout patet ex præcisus verbis ejusdem; ibi: « Per se ipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum. » Rebuffus, l. c., n. 45; Barbosa, p. iii, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 54, n. 121; Garcias, p. v, *De benefic.*, c. 8, n. 47 et 48; Engel, lib. i, tit. 28, n. 10; Reiffenstuel, lib. i *Decret.*, tit. 28, n. 87 et alii.

11. Regulares mendicantes, alique omnes cum ipsis communicantes possunt dispensare ad petendum debitum, tam super impedimento proveniente ex voto simplici castitatis perpetuæ ante vel post contractum matrimonium inito, quam super impedimento proveniente ex contracta affinitate, ratione copulæ habitæ cum consanguinea, vel consanguineo etiam in primo et secundo gradu alterius conjugis; *Est fere communis*. Primam partem docent specialiter Sanchez lib. viii *De matrim.*, disput. 16, n. 3; Vera Crux, 1 part. *Specul.*, art. 13; Rodriq., t. II, seqq. *Regul.*, qu. 63, art. 2; Quintanadvenas, *Singular.*, tract. 9, singul. 2, n. 5; Henriquez, l. xii, *De matrim.*, c. 2, n. 9; Reiff., l. c., n. 568; Bonagratia Habsensis, verb. *Dispensatio*, n. 148, et verb. *Privilegium*, n. 420, § *Viri quoque gravissimi*; P. Bassæus, tom. II, verb. *Privilegium*, n. 8; Hurtado, Sorbus, et alii, qui communiter probant conclusionem ex privilegio a S. Pio V concessio nobis Franciscanis de Observantia, 26 Octobris 1569, uti refertur in compendio meritiſsimæ Societatis Jesu, tit. *Dispensatio*, § 4, et in compendio Minorum, tit. *Dispensat.*, post adnotationem Capuccin. Et hoc insuper probatur quia possunt supradicti regulares dispensare in omnibus votis, in quibus jure ordinario possunt dispensare episcopi, ut clare patet ex pluribus privilegiis Summorum Pontificum, et signanter Innocentii VIII, Eugenii IV, Martini V, Pauli III, Gregorii XIII, ut videri potest in compendiis privilegiorum Dominicanorum, Minorum, Augustinianorum, Carmelitarum, Societatis Jesu, etc. Atqui episcopi possunt dispensare ad petendum debitum super impedimento proveniente ex voto simplici castitatis perpetuæ ante vel post contractum matrimonium inito, ut patet supra n. 2 et seq.; ergo idem poterunt etiam regulares. (12. Quoad secundam partem docent specialiter Sanchez, lib. viii *De matrim.*, disp. 16, n. 8; Vera Crux, 1 p. *Specul.*, art. 23 in fine; Henriquez, lib. xi, *De matrim.*, cap. 15, n. 11; Quintanadvenas, *Singular.*, tractat. 6, singul. 3; Reiffenst., *loc. cit.*, n. 571; Sorbus, in *Compend. privileg.*, verb. *Absolutio* 2, quoad sæculares, et alii, qui communiter iterum probant conclusionem ex privilegio, vivæ vocis oraculo nobis Franciscanis de Observantia a S. Pio V concessio his verbis: « Possunt dicti confessarii, si sint viri docti, et in forma concilii Tridentini approbati, ex commissione provincialis dispensare in foro conscientie ad petendum debitum

cum his, qui consanguineum vel consanguineam sui conjugis post matrimonium cognoverunt. »

(13. Quia tamen adducta privilegia non satis videntur probare, ex quo fuerint concessa solum vivæ vocis oraculo, et privilegia vivæ vocis oraculo concessa revocata sint a Gregorio XV, 2 Junii 1622, constit. incipient. *Romanus*, et ab Urbano VIII, 20 Decembris 1631, constit. incipient. *Alias felicitis*, ideo probatur efficacius ex privilegio Eugenii IV quod non vivæ vocis oraculo, sed per bullam concessit Benedictinis congregationis Casinensis 1436 pridie Kalendas Julii; et refertur in *Bullario Casinen.*, tom. I, constit. 36, quam etiam alii allegant doctores, præsertim Murga to. II *Disquisit. moral.*, disquisit. 1, dub. 13, n. 121. Et quamvis in præfata bulla expresse non contineatur facultas dispensandi cum incestuosis conjugibus ad petendum debitum, tamen Julius II expresse declaravit hanc potestatem vi dictæ bullæ Eugerianæ esse concessam, et suam ipsam declarationem notificari fecit a Ludovico S. Marcelli presbytero cardinali et maximo penitentiario, et officiali Papæ, et ab eo sigillo officii penitentiariæ subsignatam; quæ (teste Murga) authentico Casinensi bullario est inserta tenoris sequentis: « Nos igitur auctoritate domini nostri Papæ, cujus penitentiariæ curam gerimus, et de ejus speciali et expresse mandato super hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, ut tam vigore concessionis Apostolicæ prædictæ, quam verborum hujusmodi in illa appositorum, vos et pro tempore existentes dictorum monasteriorum abbates, priores, præsertim et monachi prædicti conjugatos hujusmodi, qui post contractum matrimonium consanguineas uxorum suarum cognoverunt, vel uxores quæ a consanguineis virorum se carnaliter cognosci permiserunt, a talibus excessibus absolvere et eis salutarem penitentiam injungere, nec non cum eis et eorum quolibet, ut, non obstante affinitate superveniente, debitum conjugale reddere et exigere valeant, dispensare libere et licite valeatis, ac possint ac valeant, perpetuo declaramus, in contrarium non obstantibus quibuscunque. »

(14. Nec valet dicere quod hæc declaratio sit facta seu concessa a Julio II solo vivæ vocis oraculo, et consequenter sit revocata per citatas constitutiones Gregorii XV et Urbani VIII. Non valet, inquam, quia, licet in citatis constitutionibus sint revocata privilegia solo vivæ vocis oraculo concessa, non sunt tamen revocatæ declarationes quæ vivæ vocis oraculo fiunt super privilegiis bullatis, quia tales declarationes nil novi concedunt, sed præcise quod jam concessum est declarant. (15. Tum quia Urbanus VIII ex post die, scilicet 11 Aprilis 1635, constitutione incipient. *Alias felicitis*, declaravit oracula vivæ vocis facta officialibus Papæ adhuc vigere et suam sortiri vim, ac si prædictæ duæ constitut. citatæ sub n. 14, quod ad illos non emanassent, ibi: « Motu proprio certa que scientia, ac matura deli-

beratione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine; officiales seu ministros prædictos, quibus alias ante emanatas prædictas constitutiones, ex officiorum suorum auctoritate et prærogativa, de oraculo per eos a Romanis Pontificibus pro tempore existentibus habito, fides haberi solebat quoad ea quæ, ut præfertur, ad cujuslibet eorum officium seu munus quo funguntur pertinent, in litteris etiam nostris prædictis, super revocationem oraculorum hujusmodi emanatis, minime comprehensos fuisse nec esse, nec comprehendere debere declaramus et decernimus, et ad abundantiore cautelam eosdem officiales seu ministros adversus easdem constitutiones, quatenus opus sit, restitimus et plenarie reintegramus in omnibus et per omnia, perinde ac si quoad illos prædictæ constitutiones non emanassent. » Cardinalis autem Ludovicus S. Marcelli erat tunc officialis domini Papæ, utpote suus maximus penitentiarius, ut patet ex propriis suis verbis adductis supra sub n. 14 in fine, adeoque oraculum vivæ vocis ei a Julio II factum adhuc viget, et remanet in plenaria sua vi et virtute, et consequenter, etc. (16. Tum etiam quia gravissimi auctores, teste Bassæo, tom. I, verb. *Privilegium*, n. 8, vers. *Quartum est*, tenent Gregorium XV et Urbanum VIII ea sola vivæ vocis oracula revocasse quæ non sunt confirmata per bullam alicujus pontificis ex certa scientia, sed plures Summi Pontifices ex certa scientia confirmarunt privilegia minorum etiam vivæ vocis oraculo concessa, uti S. Pius V, Gregorius XIII, Paulus V et signanter Clemens VIII, 20 Decembris 1595, constit. incip. *Ratio pastoralis*, sub § 3, ubi omnia et singula privilegia fratribus minoribus per Romanos Pontifices concessa, « etiam per solam signaturam, etiam vivæ vocis oraculo... approbat, confirmat ac innovat, perpetuamque roboris firmitatem obtinere et firmiter observari decernit. » (17. Unde cum talia privilegia sic confirmata et innovata jam in bullas transierint, teste Hurtado, apud Bassæum, *loc. cit.*, vers. *Quintum est*; licet omnia vivæ vocis oracula essent revocata per Gregorium XV et Urbanum VIII, ista tamen adhuc valere communis jam refert sententia, ut expresse dicit Bonagratia Habsensis in compendiosa *Summula in select. Qq. regular.*, verb. *Privilegium*, n. 420, § *Viri quoque gravissimi*.

(18. Confessarii regulares possunt valide et licite dispensare super impedimento petendi debitum ratione voti ante vel post matrimonium emissi, licet non sint ad hoc specialiter deputati a suis superioribus majoribus. Est communis. Et ratio est quia certum est quod confessarii regulares possunt vi suorum privilegiorum, absque ulla speciali deputatione vel licentia superioris, dispensari in votis: ergo etiam in impedimenti petendi debitum ex solis votis provenientibus; nam si dispensandum tollere possunt, et actu tollunt votum, quod est unica causa et radix impedimenti, utique etiam tollere possunt et dispensando tol-

lant ipsum impedimentum, eo quod, ut jam dictum est n. 3, cessante causa, cesset effectus; cap. *Cum cessante* 60, De appellat.

(19. Super impedimento tamen petendi debitum ratione affinitatis contractæ ex copula post contractum matrimonium habita cum aliqua vel aliquo sui conjugis consanguinea vel consanguineo in primo vel secundo gradu, probabilius est non posse dispensare, nisi habeant ad hoc specialem commissionem et licentiam a suis superioribus majoribus, puta generalibus, provincialibus et hujusmodi; Rodriguez, to. I, *Qq. regul.*, qu. 63, art. 1; Portel., in *Dub. regul.* verb. *Confessar.*, n. 23; Henrion, disp. 4, *De voto*, qu. 6, n. 68; Peyrin., to. II, qu. 1, c. 4, § 4, n. 76; Felix Potestas, t. I, part. IV, c. 11 *De sacram. matrimon.*, n. 4303; Murga et alii satis communiter sustinentes nequidem superiores locales dispensare posse ad petendum debitum, nisi habeant specialem commissionem seu licentiam a provinciali vel generali. Et ratio est quia in memoratis privilegiis expresse requiritur ut confessarii ad hoc specialiter deputentur seu specialem commissionem et licentiam a provinciali habeant, ut patet legenti verba privilegiorum: « Privilegia autem non plus operantur quam verbis expriment, » juxta commune axioma DD. arg. cap. *Porro* 7, De privilegiis, ibi: « Quod totum in inspectione privilegiorum suorum plenius advertere potest, et secundum quod inveneris ita observes. » Et cap. *Recepimus* 8, eod. tit. ibi: « Inspicienda sunt ergo privilegia, et ipsorum tenor est diligentius attendendus. »

(20. Non desunt tamen doctores magni nominis qui expresse tenent posse confessarios regulares, etiam sine speciali commissione et licentia provincialis vel generalis, dispensare super impedimento petendi debitum ratione affinitatis contractæ ex copula post contractum matrimonium habita cum aliqua vel aliquo sui conjugis consanguinea, vel consanguineo in primo vel secundo gradu. Ita Diana, part. v, tract. 13, resol. 46, citans etiam Cælestinum in *Compend. theolog. moral.*, tract. 8, c. 15; eadem docet Anton. a Spiritu sancto, in *Director. reg.*, part. I, tract. 2, disp. 1, sect. 2, § 3, n. 112, citans Leand. Martin. a S. Joseph, Bordon. et alios dicentes quod, licet Eugenius IV et S. Pius V concesserint privilegium cum clausula, ut confessarii regulares pro eo practicando specialem debeant habere commissionem et licentiam provincialis, tamen postea pontifices successores idem privilegium aliis regularibus communicaverint sine simili restrictiva. Et expresse sustinet Reiffenstuel, lib. IV, *Declar. in Append. de dispensat. super impedimentis*, n. 577 cum sequentibus, adducens privilegium bullatum concessum PP. Augustiniani a Leone X quod cum his qui in primo affinitatis gradu scienter aut ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit neque judicium productum dispensare valeant, ut de novo contrabant et in eodem contracto matrimonio remaneant, prole etiam legitima. Ita tenor

privilegii prout refertur ex bulla d. Leonis X a Richardo Rossensi episcopo in suo libello de causa matrimonii regis Angliæ, a quo rege in odium fidei catholicæ fuit occisus, et a Cassaing., *De privilegiis regul.*, tract. 5, c. 5, propos. 3; a Vera Cruz, II p. *Speculi aurei*, art. 27, vers. *Et hoc confirmavi expresse*, et ab aliis. (21. Cum enim, ut dicit Reiffenstuel, l. c., n. 579, vi dicti privilegii ab ipso allegati, l. c., n. 543, possint confessarii regulares mendicantes legitime approbati et expositi absque ulla speciali deputatione vel licentia superioris, dispensare in foro conscientie cum conjugatis super impedimento affinitatis dirimente, ita ut matrimonium nulliter contractum revalidare in eoque permanere, debitum petere ac reddere valeant, multo magis poterunt super eodem affinitatis impedimento solam petitionem debiti impediendo dispensare juxta regulam 53 *Juris*, in 6, ibi: « Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus, » etiam in materia privilegiorum si majus et minus sunt ejusdem ordinis, et minus in majori includatur, uti in præsentibus, quia potestas dispensandi super impedimento dirimente implicite etiam includit potestatem dispensandi super impedimento petendi debitum, utpote quod libere petere possunt conjuges incestuosi, statim ac sunt dispensati super impedimento affinitatis dirimente cum quo contraxerunt. Hinc dicto privilegio confessarii absque ulla speciali licentia in foro conscientie secure uti possunt, præsertim cum in dispensatione ad petendum debitum non agatur de valore sacramenti, sed tantum de honestate actus. Hactenus ad litteram Reiffenstuel.

ARTICULUS IV.

Matrimonium quoad denuntiationes.

SUMMARIUM.

1. Denuntiationes matrimonii quid sint.—2. Quid si matrimonium absque denuntiationibus contrahatur; ubi de penis contra contrahentes, nec non contra parochos: an et contra testes: ad n. 41. Vid. *Additiones Casinenses* in fine, ubi nonnulla ad rem.—12. Denuntiationes debent fieri tribus diebus festis continuis intra missarum solemnias, nec possunt fieri diebus ferialibus, etiam cum dispensatione episcopi: possunt tamen fieri in die profesto; et etiam extra Ecclesiam, et missarum solemnias, si magnus adsit populi concursus, et locus aptus sit, ut ad multorum notitiam perveniat: et possunt etiam fieri diebus festis dum cantantur vespere: alia ad rem ad n. 21.—22. Denuntiationes matrimoniales possunt fieri, eo tempore quo nuptiæ prohibentur.—23. Vicarius generalis non potest impedire, ne parochus faciat denuntiationes absque sua licentia.—25. A quonam parochus sint faciendæ denuntiationes, et quid amplius in hac re notandum, vid. ad n. 28.—29. Regulares non possunt publicare denuntiationes in missarum solemnias.—30. Quando denuntiationes regulari possunt, et quibus hæc competat facultas: insuper de justis causis ad hoc ad n. 64.—65. De obligatione revelandi impedimenta quæ intercedere possunt in hoc, vel illo matrimonio contrahendo ad n. 68.—Alia ad rem ad n. 72.—Subnectuntur additiones ex aliena manu ad n. 90.

(1. Denuntiationes matrimoniales sunt pro-